

Quanta igitur virtus animi? Primo, ut mortem non timeret: deinde, ut circumfusus legionibus inimicorum in confertos raperetur hostes, medium penetraret agmen, et contempta morte ferocior, abjecto clypeo, utraque manu vulneratae molem bestiae subiret ac sustineret; post infra ipsam succederet, quo pleniori feriret ictu, cuius ruina inclusus magis quam oppressus, suo est sepultus triumpho. Nec fefellerit opinio virum, quamvis regius fefellerit habitus. Tanto enim virtutis spectaculo defixi hostes inermem, occupatum incursare non ausi, post casum ruentis bestiae sic trepidaverunt, ut impares se omnes unius virtuti arbitrarentur. Denique rex Antiochus, Lisiae filius, qui cum centum vigin-
ti millibus hominum armatis venerat et cum triginta duobus elephantis, ita ut ad ortum solis per singulas bestias velut montes quidam splendor armatorum corusco, tanquam lampadibus ardentibus resulgeret, unius territus fortitudine, pacem rogaret. Itaque Eleazarus haeredem virtutis suae pacem reliquit. Sed haec triumphorum sint.

FORTITUDINEM NON SOLUM IN VINCENDO, SED ETIAM PLUS IN
TOLERANDO CONSTARE.

Verum quia fortitudo non solum secundis rebus, sed etiam adversis probatur, spectemus nunc Judae Machabaei exitum ¹⁾). Is enim post victum Nicanorem regis Demetrii ducem, securior adversus viginti millia exercitus regis, cum nongentis viris bellum adorsus, volentibus his cedere, ne multitudine opprimerentur, gloriosam magis mortem, quam turpem fugam suasit: «Ne crimen, inquit, nostræ relinquamus gloriæ.» Itaque commisso prælio, cum a primo ortu diei in vesperam dimicaretur, dextrum cornu, in quo validissimam manum advertit hostium, aggressus facile avertit. Sed dum fugientes sequitur, a tergo vulneri locum præbuit: ita glo-

1) Mach. 9.